3.2.604.

Digitized by Google

FABULÆ

LOCMANI SAPIENTIS.

634

Digitized by Google

Digitized by Google

3/2/604

FABULÆ

LOCMANI SAPIENTIS

EX ARABICO SERMONE

LATINIS VERSIBUS INTERPRETATÆ

AB EMMANUELE LASSALA

Ad Clariſſimum Virum

FRANCISCUM PEREZIUM BAYERIUM.

In tenui labor.
Virg. Georg. lib. IV.



BONONIÆ MDCCLXXX.

EX TYPOGRAPHIA S. THOMÆ AQUINATIS

SUPERIORUM PERMISSU.

PVB. FIORENTINA BIBLIOTH.

Digitized by Google

3.2.604

Digitized by Google

FRANCISCO PEREZIO BAYERIO

Regii Ordinis Caroli III. Equiti Nobiliſſimo

ARCHIDIACONO VALENTINO

Eccleſiæ Toletanæ Olim Canonico & Theſauri Cuſtodi
Filiorum Regis Catholici Inſtitutori
Sapientiſſimo.

EMMANUEL LASSALA,

ETſi ego ubique loci & temporis, quamdiu in Hiſpania noſtra commoratus ſum, tuæ in abſoluta ſcientiarum omnium atque bonarum artium univerſitate ſingularis præſtantiæ communem apud exteros exiſtimationem per disjunctiſſimas quaſque totius Europæ provincias late diffuſam eſſe facile cognoverim; ex

 quo

Digitized by Google

quo in Italiam veni, mea propria experientia edoctus ampliſſimam & honorificentiſſimam tui nominis dignitatem recente Italorum hominum memoria vigere, atque in dies etiam magis magiſque augeri, auribus meis hauriendi occaſionem nactus ſum. Audivi enim ſæpe ſæpius Bononienſes homines de rebus tuis ſumma cum laude verba facere, tuamque & facilitatem & naturalem ad omnia ingenii dexteritatem una cum prudentia conjunctam crebris uſurpare ſermonibus; quippe qui pridem noverint, quam facile in rebus dubiis gerendis te expedieris, cum Hiſpanorum Clementini Collegii ſuprema Ferdinandi VI. Hiſpaniarum Regis auctoritate Cenſor deſignatus, tum in ſtatuendis opportunis ſuo loco & tempore rei familiari promovendæ legibus, tum in reſtituenda appoſita & conveniente nobiliſſimis alumnis ſtudiorum ratione, communibus omnium votis & expectationi de adventu tuo jampridem unicuique animo conceptæ cumulatiſſime feciſti ſatis. Memoria repetunt Romani cives, quanto cum honore & principibus viris extiteris apprime carus, & a doctiſſimis cujuſque ordinis graduſque hominibus maximis amoris ac benevolentiæ ſignificationibus facile

le

le exceptus fueris ; ut non ſine multa induſtria & ingenii acumine tum in bibliothecis perluſtrandis , tum in recenſendis antiquis nummis , inſcriptionibus , ſignis , aliiſque veteris Romæ monumentis , quanto tempore apud illos verſatus es , indefeſſum ubique ſtudium atque operam collocaris . In Urbe autem perenne tui monumentum extabit volumen aureum , quo tamquam aliud agens , dum breviſſimo temporis intervallo Damaſum & Laurentium optimo quidem jure Hiſpaniæ vindicaſti , immortalem tibi peperiſti ſapientiæ laudem , novumque æternumque adjunxiſti Hiſpanico nomini decus atque ornamentum . Atque ut ne tua ſingula in omnibus Italiæ partibus impleam veſtigia , & nimium hac in re multus eſſe videar ; ex quo juſſu Ferdinandi Regis in Italia univerſa , quanta quanta latiſſime patet , & antiquos codices manu ſcriptos in bibliothecis , & in muſeis ipſiſque Pompejorum atque Herculani ruderibus memores priſcæ ætatis reliquias peregrinatus es ; apud optimos quoſque ac ſapientiſſimos ubique viros & iucundiſſimam tuæ humanitatis doctrinæque memoriam , & tuæ converſationis ardentiſſimum ſtudium , & ingens tui deſiderium reli-

qui-

Digitized by Google

quiſti. Minime igitur, licet ego pluribus abhinc annis in media Italia verſatus ſim, apud Italos reus, ut ita dicam, peregrinitatis arguar, quod Hiſpanus homo Hiſpanicum nomen, quando id mihi pro tua facilitate animi & benevolentia facere licuit, præfigere velim huic latinæ Fabularum Locmani interpretationi; quin & fronti præfixum tuum magnum nomen, tum ubique alias tum præcipue in Italia communi omnium ore nunquam ſine laude uſurpatum, tenui opuſculo meo non modo apud noſtros homines ſed etiam apud exteros fortaſſe fiet ut aliquam exinde addat auctoritatem. Accedit præterea, te non ſolum in humanioribus literis omnique graviorum diſciplinarum genere apprime verſatum eſſe, ſed ab ipſo etiam juventutis flore & Græcanicæ & Hebraicæ & Arabicæ aliarumque linguarum ſtudio maxima animi contentione operam dediſſe, earumque uſu in præſentia mirifice delectari. Atque Hebraicæ quidem publicus ſemel ac iterum renuntiatus Profeſſor, eam ſumma cum laude docuiſti tum in Valentina tum in Salmanticenſi Academia: deinde vero orationem habiturus ad Eccleſiæ Barcinonenſis Canonicos, Tharſis antiquæ ſitum omnigena

gena doctrinæ ſacræ & peregrinarum linguarum eruditione in ſinu Tarteſſio Gaditani freti abſdubio reperiri demonſtraſti. Quis autem ignorat, quantam in ambiguis quibuſdam Salluſtii locis explicandis & illuſtrandis operam poſueris, ut eorum gratia eruditiſſimam ac difficillimam tractationem inſtitueres de primis linguæ Phœnicum elementis? Eam profecto Sereniſſimus Princeps Gabriel Borbonius Caroli III. Regis Hiſpaniarum Filius tuique Auditor amantiſſimus dignam exiſtimavit, quæ ipſius vernaculæ puriſſimæ quidem & elegantiſſimæ Salluſtii interpretationi regio ſane luxu ac magnificentia editæ ad calcem ſubjecta eſſet. Quando vero mihi de Sereniſſimo Principe ſermo opportune accidit, & ipſe tibi ſuas eſſe voluit communes laudes, meum eſſet hoc in loco nonnulla attingere de ſingulari eruditione, humanitate, pietate, religionis ſtudio, aliiſque animi virtutibus, quas ipſe ac Sereniſſimi Fratres Optimorum Parentum exemplo tuaque doctrina inſtituti & jucundiſſimis & ſuaviſſimis moribus expreſſerint; niſi quod non ita longiorem ſermonem, quantus par eſſet in tanta rerum copia, hæc inſtituti mei ratio poſtulat, meique ingenii te-

B *nuiſ-*

nuiſſimi vires ſuſtinendæ tanti argumenti dignitati impares eſſe cognoſco. Verum enim vero iſtud in univerſum affirmare nihil moror, Sapientiſſimi Regis Caroli conſilium, quo primæ tibi Sereniſſimos Filios inſtituendi partes ab eodem demandatæ ſunt, maximam de ingenio tuo & doctrina & virtute apud omnes commendationem attuliſſe: hæc autem in immenſum excrevit, cum tu deinceps nulla in re communi noſtrorum hominum expectationi & Regis voluntati defuiſti, quominus ex omni parte commiſſum tibi arduum munus pro dignitate expleres; neque erit profecto, quare Honoratum Juanem Oxomenſem Epiſcopum Carolus Rex invideat Philippo II., qui eundem ex luculentiſſimo Matamori, Sepulvedæ, Schotti, Montani & aliorum ſcriptorum teſtimonio virum numeris omnibus abſolutum Caroli Filii inſtitutioni præpoſuit. Nec ita pridem ad meas aures pervenit, ex Regis decreto & impenſis edi Valentiæ Edetanorum immenſas tuas atque eruditiſſimas lucubrationes de Phœnicum & Græcorum in Hiſpania nummis, quibus aliæ præmiſſæ de nummis Hebræo-Samaritanis, ex Machabæorum ætate deſumptis, ad difficillimam Hiſpanienſium nummorum & veto-

Digitized by Google

veteris geographiæ explicationem non ſine infinitæ & exquiſitæ eruditionis apparatu viam facile ſternunt; quo fiet, ut noſtrorum nummorum ſeries, quæ ab omni ſæculorum memoria apud eruditiſſimos quoſque ſcriptores denſiſſimis jacebat tenebris circumfuſa, tuo labore & induſtria in immenſum aucta, & meridiana luce clarius explicata omnibus in aperto poſita ſit. O utinam quamplures tuæ reliquæ lucubrationes tum præcipue tui itineris Italici eruditiſſima commentaria, tum etiam confutatio doctiſſima tabularum Granatenſium & communi literarum bono & Hiſpanici nominis laudi in lucem proferantur; neque nos maneat idem commune tibi ſiniſtrum fatum alterius Perezii Segobricenſis Epiſcopi, cujus aurea volumina de chronicis apocryphis & plurimis rerum Hiſpanienſium monumentis, ſitu & pulvere conſperſa in bibliothecis ignota jacent. Perge igitur, ut re & exemplo facis, Vir Clariſſime, in promovendo & amplificando apud noſtros homines literarum ſtudio; quo futurum ſpero, ut Hiſpanico nomini novæ gloriæ ſplendor ex tuis magis magiſque adauctis laudibus accedat. Ego vero, quoniam iſtud leve opuſculum meum

mi-

minime averſatus es, quin & me tua benevolentia complecti & officiis ornare inſtituiſti; nullam unquam deinceps prætermittam tui colendi occaſionem, ut obſervantia in te mea plane cognita, ingrati animi vitium effugiam. Quod ſi mihi, ut ſpero, perpetuo conſervabis benevolentiam tuam, eam mihi ſummæ laudi eſſe ducam; & vehementer gaudebo, ipſam mihi apud te, id quod ad exiſtimationem nominis mei maxime pertinere arbitror, & dulciſſimum & ſuaviſſimum ſtudiorum meorum fructum extitiſſe. Vale.

Digitized by Google

COMMENTARIOLUM

DE LOCMANI FABULIS.

CLariſſimus Vir Michael Caſirius in Bibliotheca Arabico-Hiſpana Eſcurialenſi (*a*) codicem manu ſcriptum Fabularum Locmani ibidem aſſervatum recenſens, hæc habet: „ Hujuſmodi Fabulas Scriptores Orien-„ tales Locmano Philoſopho adſcribunt, „ qui, ut eorum plerique ferunt, Philoſo-„ phus extitit inter Arabes celeberrimus. „ Æthiops genere, conditione ſervus, ob „ inſignem divinamque pene ſapientiam ab „ hero libertate donatus. Quo autem ille „ vixerit tempore, non una omnium ſenten-„ tia; Arabibus de ſuo Locmano, perin-„ de ac Græci de Æſopo ſuo, diſcrepan-„ tibus. Ceterum qui Locmani & Æſopi „ nomen, ætatem, apologos accuratius ex-„ penderit, non dubito quin is mecum „ ſentiat, Locmanumque eundem eſſe ac „ Æſopum pronunciet; vox enim *Æſopus* „ nonnihil immutata idem ſonat ac *Æthio-* „ *pus*

(*a*) Tom. I. pag. 226.

„ *pus* ſive *Æthiops*. „ Alios profecto ejuſdem ſententiæ auctores enumerat Joannes Albertus Fabricius (*a*) videlicet Hottingerum in Hiſtoria Orientali, Jacobum Golium ad Grammaticam Erpenii, Joannem Mollerum in Homonymoſcopia, Maraccium ad Alcorani Suram XXXI., Stephanum Clericum in Quæſtionibus, & Huetium de Fabulis Romanenſibus. Locmanum vero alium eſſe ab Æſopo exiſtimant Fabricius ipſe, Herbelotus in Bibliotheca Novorum Librorum & alii bene multi; quod ad ipſius ætatem attinet, ut alios mittam, Thomæ Erpenio videtur eodem fere ac Æſopus tempore vixiſſe.

An autem Arabes a Græcis, an potius Græci ab Arabibus hujuſmodi Fabularum genus acceperint, decernere non ita facile eſt. Hæ quidem ab Æſopi nomine, qui apud Græcos primus ipſarum auctor habebatur, communi deinceps vocabulo Æſopiæ dici ſolent. Quintilianus (*b*) tamen eas potius Heſiodo, qui multo ante Æſopi ætatem vixerat, tribuendas eſſe putat:

(*a*) Bibliot. Græcæ lib. 2. cap. 9.
(*b*) Inſtitut. Orat. lib. 5. cap. 11.

tat: & ſane apud Heſiodum in Poemate Operum & Dierum (*a*) primam fabellam legimus de Accipitre & Aedone. Sed apologorum antiqua origo & dignitas altius etiam quam ab illis temporibus a nobis repetenda eſt; quippe qui ſemel atque iterum apud Sacros Codices jam inde ab annis, poſtquam obierat Moſes, circiter trecentis ſcripti reperiuntur. Fabellam de Arboribus Regem ſibi poſtulantibus videre eſt in Lib. Judic. cap. IX. alias item Regum lib. II. cap. XII. & cap. XIV., tum etiam lib. IV. cap. XIV. Antiquiſſimus habetur apud Indos liber Fabularum inſcriptus *Kelila Va Dimna*, qui deinde ad nos etiam traductus ſub Pilpæi nomine circumfertur: hunc annis ante Alexandrum Magnum trecentis ex indico in arabicum ſermonem fuiſſe converſum, teſtatur Abrahamus Echellenſis; quamplures vero emunctæ naris homines eundem a Simeone Setho græculo circa annum Chriſtianum MC. confictum, nec injuria ſuſpicantur. Quid quod iſtud in apologis dicendi genus magis ad Orientalium quam ad Græcorum mores & ingenium

(*a*) Lib. I. v. 201.

Digitized by Google

nium accomodatum eſſe nemo ullus dubitat, qui rem ipſam videre velit. Hujus rei exemplo eſſe poterit Antologia Perſica anno 1778. Vindobonæ edita, ubi inter alia Perſarum poemata una & viginti Fabellæ excerptæ recenſentur ex libro inſcripto *Behariſtan* auctore *Maladshami*; quibus alia ſubjicitur cujuſdam Perſæ nomine *Mola—Haſein—Waits*. Apud Arabas profecto & numero plurimi & laude celebres Fabularum ſcriptores paſſim reperias; atque ut ne omnes prætercam, eos inter præcipuos recenſet Caſirius in Bibliotheca Eſcurialenſi *Ebn Albabarat* (*a*), *Omar Ben Abdalla Alrazi*, *Ben Arabſcha*, & autographum codicem inſcriptum: *Proverbia Sapientis*, quem ipſe Auctorem anonymum anno Egiræ 801. perſcripſiſſe memorat. Locmanus autem noſter

---

(*a*) In codice, cui titulus eſt: *Amicorum Oblectamentum & Otium*, auctore *Abi Iali Mahomad Ebn Albabarat* Bagdadenſi ex Regio Abbaſidarum genere, plures interſeruntur Fabulæ Æſopiis non abſimiles, carmine populari contextæ, videlicet: *Latronis*, *Monachi*, *Tyranni*, *Duorum Leonum*, *Cervæ*, *Aſini*, *Paſtoris*, *Mercatoris*, *Piſtoris* atque id genus aliæ, quæ ad hominum mores informandos potiſſimum ſunt excogitatæ. Bibliot. Eſcurial. tom. I. p. 138.

ſter apud Arabas maximo in pretio eſt habitus; tantamque apud eoſdem ſapientiæ famam conſequutus eſt, ut ſi quando indicare velint, aliquem alterius inſtitutione & conſilio non indigere, dicere ſoleant: *non eſt neceſſe docere Locmanum*. Ipſius etiam in Alcorano ſuo meminit Muhamed; niſi quod ex Fabricii ſententia alius extitit Locmanus junior, cui datam a Deo ſapientiam traditur in cap. XXXI. Alcorani.

Verum enim vero Fabellæ iſtæ geometricam illam, ut ita dicam, Æſopiarum ſimplicitatem cum elegantia prorſus conjunctam habent; idque omne quod ad morum doctrinam atque hominum inſtitutionem pertinet, brevibus narratiunculis animantium & rerum etiam ſenſu carentium exemplo inſtitutis, & docte, & jucunde & eleganter deſcribitur. Eas Perſico ſermone ſcriptas Locmanum primo tradidiſſe ferunt; quæ deinde in Arabicum elegantiſſimo ſtilo converſæ extant. Thomæ Erpenii opera ac ſtudio hæc verſio Arabica cum latina Fabularum interpretatione prodiit Lugduni Batavorum

anno MDCXV., & deinceps anno MDCXXXVI., & MDCLVI. ad calcem Grammaticæ Arabicæ ipſius Erpenii. Albertus Schultens ibidem anno MDCCXLVII. utramque verſionem edidit, præmiſitque Excerptis ex Arabica Anthologia veterum Poetarum. Fabellæ numero ſunt omnino triginta ſeptem, quarum decem Arabice exhibentur ab Alſopio in ſuo fabularum delectu edito Oxonii anno MDCXCVIII.; decem & octo Tanaquillus Faber Cadomenſis, ut elegantiſſimi ætate noſtra Fabularum ſcriptoris Franciſci Desbillonſii verbis utar „ verſibus latinis „ ſenariis reddidit, vel potius amplificavit; „ atque auxit quidem laude non mediocri, „ quanquam eſt ejus ratio narrandi paulo „ verboſior. „ Eas edidit Salmurii anno MDCLXXIII., iterumque anno MDCLXXIV. una cum latina Erpenii verſione.

FA-

Digitized by Google

FABULÆ
LOCMANI SAPIENTIS

PROLOGUS INTERPRETIS.

IN anteceſſum, lector, paucis te volo.
Quiſnam fabellas iſtas primus fecerit,
Sub judice lis eſt: aliis Æſopus placet,
Aliis Locmanus Auctor; qui perpendere
Amant momenta rerum docto examine,
Eas Locmano tribuunt. Mihi non eſt datum
Habere naſum; nec ſi haberem, pluribus
Vellem morari te de Auctoris nomine.
Nil te morabor, qualis hic cumque fuerit
Arabs interpres; quippe Locmanum volunt
Has tradidiſſe primum lingua Perſica.
Arabicam verſionem bonus Erpenius
Latinam fecit: hujus ad calcem breves
Subjecit Golius annotatiunculas.
Ego libenter horum ſic utor opera,
Ut ipſas Arabicas fabellas verterim;
Nec ulli adhæreo mordicus interpreti.
At iſtud nemo me jactare exiſtimet
Inanis laudis aucupandæ gratia,
Vel ut fucum faciam peregrinis mercibus;
Tu diligentiam velim ut noſcas meam,
Qua ſtudui ad ungem procudere ſententias,
Et apta quæque verba verbis reddere.
His te volebam: ſed jam videſis fabulas.

FABULA I.

Leo & Duo Tauri.

EGreſſus incidit Leo in Tauros duos:
Eorum alter ſe congregans ad alterum,
Leonem junctis impetebant cornibus,
Ut inter illos non poſſet perrumpere.
Tunc ille Tauros oppugnare deſtitit:
Dein promiſit abſtinere a prælio,
Licet unus inde ab altero recederet.
Receſſit alter: ille diſcerpſit duos.
Non poſſe prævalere, monſtrat fabula,
Unquam duabus hoſtem civitatibus,
Dum ſtudiis cives inter ſe convenerint;
Si convenire nolint, ambæ corruent.

FABULA II.

Cervus.

AD fontem Cervus, cum ſitiret, venerat:
Suique in undis intuens imaginem,
Sibi dolebat eſſe tam graciles pedes;
Gaudebat autem, magna mole cornuum
Superbiens ac ramorum altitudine.
Eum contra mox ortis venatoribus,
Effugit ipſos: dum tenebat æquoris

Aper-

Aperta, nunquam illi potuerunt aſſequi;
Deinde vero, cum prærupta montium
Ingreſſus, inter pertranſiret arbores,
A venatoribus illic captus occidit.
Heheu me miſerum, dixit morti proximus:
Illud dolebam, quod me ſalvum fecerat;
Et gloriabar illo, quod me perdidit.

FABULA III.

Cervus.

CErvus laborans morbo cum decumberet,
Feræ accurrebant ſociæ, ut ipſum viſerent:
Dum ventitabant, abſtulerunt gramina,
Et herbas omnes ſparſas in vicinia.
Deinde vero cum ille convaleſceret,
Quem ſumeret, cibum quærebat undique:
Nec invenit quidquam; unde diſperiit fame.
Docet fabella, eius dolores creſcere,
Cujus familia multum adaucta creverit.

FABULA IV.

Leo & Vulpes.

QUondam Leo, cum ſolis æſtus maxime
Illi moleſtus eſſet, in quandam ſpecum
In-

Digitized by Google

Ingreſſus, umbræ ibi captabat frigora.
Poſtquam procubuit, illi accedens ſtellio
Super dorſum eius ambulabat huc & huc.
Tunc ille ſurgens, altos ſaltus edidit;
Proſpexit undequaque, verſus dexteram,
Verſus ſiniſtram pavidus ac perterritus.
Videns hæc Vulpes irridebat improba:
Ab ſtellione nil metuo, dixit Leo,
Sed ægre prorſus duco ab ipſo deſpici.
Vir ſapiens credit eſſe acerbius malum
Vel ipſa morte haberi deſpicatui.

FABULA V.

Leo & Taurus.

LAcerare Taurum quondam cum vellet Leo,
Ob robur ejus nihil eſt auſus aggredi;
Sed abiens illi dixit, ut caperet dolo:
Agnum mactaſſe pinguem me ſcias velim;
Apud me hac nocte cænatum ut venias rogo.
Quod ille facturum libenter annuit;
Aſt dum Leonem noto convenit loco;
Eum ingentes ollas & ligna plurima
Ibi paraſſe vidit: ergo territus
Aufugit inde. Cum videret hæc Leo,
Dixit: ſtatim ac veniſti, cur iſtinc abis?
Reſpondit illi Taurus: quod feræ alteri,
Agno majori, iſte apparatus convenit.

Ille

Ille a ſapientum longe aberrat ſemita,
Qui facile inimici verbis adjungit fidem,
Vel ipſius amat uti conſuetudine.

FABULA VI.

Leo & Vulpes.

LEo jam ſenior cum eſſet fractus viribus,
Nec prævalere poſſet adverſus feras,
Sibi apparare victum conſtituit dolo;
Et ægrotare ſimulans, in quandam ſpecum
Conjecit ſeſe: cum deinde accederet
Alia atque alia ex feris, ut illum viſerent,
Eas dilacerans devorabat in ſpecu.
Sed cum veniret Vulpes, procul ad oſtium
Speluncæ ſubſtitit; inde compellans eum,
O tu, dixit, ferarum Rex, quomodo vales?
Leo reſpondit: o boni doli artifex,
Cur non ingrederis? Illi tum Vulpes ait:
His fiderem, Domine, niſi quod ego plurium,
Qui ſunt ingreſſi, repperi veſtigia;
Alicujus egreſſi unum nec video quidem.
Negotium ullum nemini oportet aggredi,
Illud priuſquam ſedulo perpenderit.

EA-

Digitized by Google

FABULA VII.

Leo & Homo.

INter vias cum factus eſſet obviam
Cuidam Leo, de roboris præſtantia
Cæpere verbis inter ſe contendere.
Leo virtutem & robur jactabat ſuum:
Ridebat ille, pictam muro imaginem
Hominis leonem ſtrangulantis intuens.
Leo dixit illi: ſi leones pingerent,
Non homo leonem, hominem dilaceraret leo.
Fabella docet, culpa excuſari neminem,
Si teſtes ſolum proferat domeſticos.

FABULA VIII.

Cervus & Leo.

CErvus ſibi timens a venatoribus,
In antrum fugit: illuc ingreſſus Leo,
Eum laceravit. Ille tunc ſecum loquens,
Heheu me miſerum, dixit, dum fugio homines,
In eum incidi qui præſtat illis robore.
Qui præ nimio timore parvum defugit,
Deinde in majus incidit infortunium.

FA-

FABULA IX.

Cervus & Vulpes.

Sitiens devenit Cervus ad fontes aquæ,
Ut biberet: in profundo ſed puteo liquor
Jacebat; unde cum deinceps ſcandere
Conatus eſſet, nunquam id potuit aſſequi.
Deſpiciens illum, Frater mi, Vulpes ait,
Erraſti ſtulte; quippe non perpenderis
Laborem aſcenſus, antequam deſcenderes.
Qui nare indoctus imum deſcendit maris,
Dum non recedit æſtus, ſibi dictum putet.

FABULA X.

Lepores & Vulpes.

Inter Aquilas & Lepores bellum mutuo
Indictum quondam fuerat: petiere Lepores
A Vulpibus, conjungi ut vellent fœdere
Ad inferendum & ſuſtinendum prælium
Adverſus Aquilas. Illæ dixerunt eis:
Niſi vos noſſemus, & bene perſpectum foret,
Quibus movendum bellum; id faceremus utique.
Inferre bellum nemo debet alteri,
Qui plus eo virtutis laude polleat.

Digitized by Google

FABULA XI.

Lepus & Leæna.

LEænæ quondam factus obviam Lepus,
Superbus illam præteribat, inquiens:
Ego filios quamplures annis ſingulis
Pario; ſed tu duntaxat in vita tua
Vix unum parturis, vel ad ſummum duos.
Huic Leæna dixit: quod narras ita eſt;
Sed unus ille plures filios valet.
Hac fabula docemur. unum filium,
Si probus eſt, improbis præſtare pluribus.

FABULA XII.

Mulier & Gallina.

ERat Gallina cuidam pariens Mulieri
Ovum diebus ſingulis argenteum.
Secum dicebat Mulier: illi plus cibi
Si dedero, mi ova bina pariet in dies.
Sed dum cibum plus æquo nimium projicit,
Illi fuit rupta ingluvies, & mortua eſt.
Faciendi quæſtus maximi cupidine
Opum ſuarum caput amittunt plurimi.

Digitized by Google

FABULA XIII.

Culex & Taurus.

CUlex ſedens in cornu Tauri ſubſtitit;
Et illi ſe ſe oneri futurum cogitans:
Dicas velim, num forte ſim gravis tibi,
Ut avolem a te. Taurus reſpondens ait:
O tu, ſuperveniſſe mihi nec ſenſeram;
Nec cui nocere poſſis, ullum noverim.
Quicumque ſit ſpernendus atque debilis,
Decus ſibi non quærat famæ & gloriæ.

FABULA XIV.

Homo & Mors.

QUidam lignorum faſcem crebro anhelitu
Ægre ferebat: ergo feſſus de via,
Ac tædio improbi laboris obrutus,
Ex humero abjecit ligna; & ſæpe ſæpius
Mortem invocavit. Illa ſe ſiſtens ei:
Cur me vocabas? Ecce ſum præſto tibi.
Reſpondit ille: at at non te vocaveram,
Niſi ut ſuper faſcem humeris inferres meis.
Omnes diutius amant vitam vivere,
Quamvis eam laboribus plenam trahant.

FABULA XV.

Hortulanus.

Dum purgat herbas Hortulanus, poſtulat
Ab illo quidam: cur eſt formoſa ſpecie
Sylveſtris herba, quin colatur? Hanc, ait,
Non ut alias noverca, mater educat.
Mater noverca melius nutrit filios.

FABULA XVI.

Homo & Idolum.

Quidam ſua locarat Idolum domo,
Quod & colebat, & diebus ſingulis
Sacra offerebat. Ergo Idoli gratia
Domi rem plurimam ille cum conſumeret,
Hoc illi ſeſe coram ſiſtens: ne tuas
Me propter, inquit, omnes conſumas opes,
Et me deinde apud alterum inculpes Deum.
Sic, quando in vitiis plurimi expendunt opes,
Eſſe inopiæ queruntur auctorem Deum.

FABULA XVII.

Homo Niger.

CUm vidiſſet quidam Hominem nigrum corpore,
Qui ſtans in medio ſe lavabat flumine,
Hæc illi dixit: o mi Frater optime,
Ne flumen inquines; neque enim fieri poteſt,
Ut albus ullo fias unquam tempore.
Mutare nefas, quod naturæ fuit inſitum.

FABULA XVIII.

Homo & Equulus.

QUidam vehebatur Equa prægnanti: via
Cum proceſſiſſet illa, filium edidit,
Qui mox ſequutus matrem non ita longius,
Deinde ſubſtitit, herumque alloquens ait:
O Domine mi, vides ego quam ſim parvulus,
Pedibuſque noſcis me non poſſe incedere:
Ergo abiens, iſtic ſi tu me reliqueris;
Peream neceſſe eſt: ſin me tecum abduxeris,
Et, dum ſiam robuſtior, educaveris;
Ego portabo dorſo te ſuper meo,
Et quo voles te eumque velox deferam.
Eos qui digni fuerint, ut ne deſerens,
Benignitate proſequaris, admonet.

FA-

Digitized by Google

FABULA XIX.

Homo & Porcus.

ET Porcum & Agnum & Capram jumento ſuper
Quidam portabat, hæc ut omnia venderet,
In urbem veniens: Agnus & Capra in via
Non percutiebant aſinum; Porcus attamen
Nullo repugnans acquievit tempore.
Huic Homo: cur, inquit, beſtiarum peſſima,
Et Agnus & Capra ſilent, dum tu murmuras,
Nec jam quieſcis? Ille reſpondens ait:
Unus ſe novit quiſque: non ſum neſcius,
Quæri Agnum lanæ, Capram lactis gratia;
Mihi vero non lana, non lac eſt mihi:
Ergo miſer, vix ac in urbem venero,
Ego in macellum detrudar dubio procul.
Qui ſibi ſuorum criminum ſit conſcius,
Ex improbo ſuo noſcit agendi modo,
Quiſnam ſibi finis futurus imminet.

FABULA XX.

Teſtudo & Lepus.

LEpus certabat olim cum Teſtudine,
Uter eorum pedibus præſtaret alteri:
Inter ſe montem conſtituerunt terminum,

Ad

Ad quem certatim curſibus contenderent.
Levemque ſubtilemque ſe noſcens Lepus,
Et anteactæ fidens experientiæ,
Via moratus aurem in utramque dormiit.
Suæ autem Teſtudo gravitatis conſcia
Nunquam quievit curſu, vel nexit moras:
Ad montem venit ergo, cum ſe ſe levans
Lepus expergiſceretur a ſomno ſuo.
Hic perveniſſe comperit Teſtudinem;
Eumque turpis fruſtra pænituit moræ,
Cum nullus eſſet fructus pœnitentiæ.
Cum duo ſe miſcent inter ſe certamine
Eorum fortis alter, alter debilis;
Neque iſte vero dormit, quod timeat ſibi:
Ut fortis victus, ſæpe ſæpius accidit,
Suæ det meritas pœnas negligentiæ,
Ac pœnitentia inani ſeſe torqueat.

FABULA XXI.

Lupus.

LUpus furatus olim porcellum abſtulit;
Sed auferenti factus obviam Leo,
Eripuit illi prædam denuo. Tunc Lupus
Apud ſe dixit: non eſt mirandum mihi,
Si, quas rapui res, ipſæ non mecum manent.
Quod per nefas habuit, poſſeſori perit;
Sin autem maneat, illi nunquam proderit.

FA-

Digitized by Google

FABULA XXII.

Rubus.

Rubus dicebat Hortulano : quiſpiam
Si mihi curando vellet operam ponere,
Et horti in media me plantaret area,
Et me rigaret, & me coleret ; principes
Viri, Regeſqne amarent floribus meis
Et fructibus libenter oculos paſcere.
His motus Hortulanus aſſumpſit Rubûm,
Et horti in medio terra opima conſitum
Bis irrigabat eum diebus ſingulis.
Sed ille ſpinis auctos ramos protulit
Supra omnes arbores, quæ erant unde undique ;
Et cum fixiſſet altas radices humo,
Hortum implevit ſpinarum multitudine ;
Neque ullus illuc auſus eſt accedere.
Tibi fabella monſtrat, quem fructum feres,
Si quando ſocio converſeris improbo :
Fit pejor, illum ſi augeas honoribus ;
Si feceris bene, reddet pro bono malum.

Digitized by Google

FABULA XXIII.

Homo Niger.

QUidam corpore niger nudatus veſtibus,
Nivem excipere, ac fricare membra cæperat.
Rogatus autem, quare id faceret: accidet
Fortaſſe ut albus fiam, reſpondens ait.
Vir ſapiens inquit illi factus obviam:
Vano labore ne teipſum torqueas;
Fortaſſe fiet ut nigram faciat nivem,
At nunquam corpus exuet nigredinem.
Ab improbis fit ſæpe corrumpi bonos;
Non fiet autem ut corrigantur improbi.

FABULA XXIV.

Aranea & Apes.

APi melliferæ dixit olim Aranea:
In ſocietatem ſi velles me aſſumere;
Ego non minus, plus etiam quam tu factitas,
Favum replerem multa mellis copia.
Apes indulgens annuit; ſed irritæ
Poſtquam periculum fecerat induſtriæ,
Araneam fixit feriens aculeo.
Hæc moriens ſecum dixit: non injuria
Nec immerenti mi mali tantum accidit;

Cur mel facere volui, cum nec poſſem picem?
Fit ut plerique rebus ſeſe immiſceant,
Quibus gerendis eſſe idoneos putant;
Eas deinde cum neceſſe eſt exequi,
Fidei pateſcit verbis promiſſæ dolus,
Et illi dignas operum mercedes ferunt.

FABULA XXV.

Puer.

IN flumen olim ſeſe conjecit Puer,
Neque ille vero artem natandi noverat:
Parumque aberat, quin ſuffocatus alvei
Imo periret. Ergo cujuſdam, viam
Pertranſeuntis caſu fluvio proximam,
Opem imploravit. Iſte conveniens eum,
Verbis amaris objurgabat plurimum,
Quod ſeſe imprudens commiſiſſet flumini.
Reſpondit ille: o tu, me primum libera
A morte; deinceps argue me imprudentiæ.
Si quando cadat amicus in periculum;
Hunc liberare curæ ſit tibi, poſtea
Licebit illum ſalvum reprehendere.

FA-

Digitized by Google

FABULA XXVI.

Puer & Scorpio.

Locuſtas venatu ſequebatur Puer;
Videnſque Scorpionem, ſtulte credidit
Ingentem eſſe locuſtam: ſuam extendit manum,
Ut ipſum caperet; ſed deinde rettulit
Ab ipſo greſſum: Dixit illi Scorpio:
Si me imprudenter apprendiſſes dextera,
Locuſtas deſiiſſes venatu ſequi.
Bonum a malo diſcerne, tractans omnia,
Ut ſua cujuſque rei natura poſtulat.

FABULA XXVII.

Columba.

Sitiens Columba, circa murum quæritans
Aquam, volitabat huc & illuc. Artifex
Aqua plenam ſcutellam muro finxerat:
Ergo advolavit illa contra imaginem;
Et alliſit ſeſe præceps ad parietem,
Ut illi ingluvies rumperetur impetu.
Heheu me miſeram, dixit: feſtinans nimis
Ut explerem ſitim, meipſam perdidi.
In rebus agendis plerumque mora & tarditas
Magis præcipiti celeritate profuit.

Digitized by Google

FABULA XXVIII.

Felis.

AD officinam Felis ingreſſa fuerat
Fabri Ferrarii: inde projectam ſolo
Dum limam reperit, illam cœpit lingere;
Ut a lingua manaret multum ſanguinis,
Quem deglutivit, fluere a lima exiſtimans;
Donec conſumpta lingua, & ipſa mortua eſt.
Suas plerique incaſſum profundunt opes;
Nec ſeſe corrigunt, neque vero id cogitant,
Exhauſtam donec noverint pecuniam:
Quin vitio delectantur, patrimonii
Sui ruinam præcipitare neſcii;
Quod maximum eſt profecto ſtultitiæ genus.

FABULA XXIX.

Faber & Canis.

CAnis manere ſolitus in domo Fabri,
In utramque aurem dormiebat, quamdiu
Laborabat Dominus: ſi opus intermitteret,
Et aſſideret ille cum ſociis ſuis,
Ut ſumerent cibum; vigil adſtabat Canis.
Ergo Faber illi, Canis o, dixit, peſſime,
Cur malleorum ſonitus, qui terram quatit,

Non

Digitized by Google

Non excitat te? ſed vigili aure percipis,
Cibos cum mando, dentium exiguum ſonum?
  Homo ſic ſomno feſſus indulget gravi,
Dum concioni & precibus ſacris intereſt;
Illius properat inſequi veſtigia,
Vel qui voce canat, vel qui pulſet tympanum,
Aut vanis ſerviat oblectationibus:
Quod maximum eſt profecto ſtultitiæ genus.
Sic aure facili homo ſermones excipit,
Quibus non fiet melior ejus indoles;
Id quod ſibi eſt utile futurum, negligit.

FABULA XXX.

Canes & Vulpes.

PEllem Leonis forte invenerunt Canes,
Et eam cæpere arrodere; quod Vulpes videns,
Si vivus, dixit illis, adſtaret Leo,
Eſſe videretis ungulas ejus pares,
Et longiores etiam veſtris dentibus.
  Monet ſabella, mortuo ne detrahas;
Is quippe ſeſe non poteſt defendere.

Digitized by Google

FABULA XXXI.

Canis & Lepus.

Fugientem Leporem perſequebatur Canis:
Mox aſſequutus eum, prehendens dentibus
Mordere cœpit; ac, fluente ſanguine,
Lambebat illum lingua. Cui dixit Lepus:
Ac ſi hoſtis eſſem, me mordebas; poſtea,
Tamquam ſi amicus ſis, mihi figis oſcula.
Sic plurimi corde malos abſcondunt dolos,
Cum dant amoris ſignum ac benevolentiæ.

FABULA XXXII.

Venter & Pedes.

Pedes & Venter inter ſe contenderant,
Quis nempe ferret corpus. Dixerunt Pedes:
Nos quippe noſtris ferimus corpus viribus.
Vos, inquit Venter, niſi ego nutrirem cibo,
Poſſetis ire, nedum ferre quidpiam?
Qui viribus impar ſuſcipit negotium,
Niſi potentioris auxilium vocet,
Fruſtra laborans illud nunquam perficit.

FA-

Digitized by Google

FABULA XXXIII.

Muſtellæ & Gallinæ.

MUſtellæ morbo noverant decumbere
Gallinas: ergo illas, pavonis plûmea
Seſe indutæ veſte, ſalutatum venerant.
Pax vobis, Gallinæ, dixere; quomodo
Valetis? Illæ reſponderunt: dummodo
Nec facies veſtras videamus, nobis bene eſt.
Amorem plurimi ore ridente ſimulant,
Sed improbos corde dolos atque odium gerunt,

FABULA XXXIV.

Sol & Ventus.

ET Sol & Ventus inter ſe contenderant,
Uter iſtud poſſet obtinere, ut protinus
Viator membra denudaret veſtibus.
Vehementer intendit ſe Ventus, impetu
Inſurgens validam tempeſtatem concitat.
Viator, quando Venti vis intenditur,
Hinc inde veſtes colligens, unde undique
Involvit illis ſeſe: poſtquam ortus dies,
Et Solis æſtus augebatur; exuit,
Suaque ſponte veſtes humeris intulit.
Facile aſſequitur ſuavi natus indole,
Ut ipſius votis alii morem gerant.

FA-

Digitized by Google

FABULA XXXV.

Duo Galli.

DUo Galli intra ſepta decertaverant :
Petivit alter victus obſcurum locum ;
Sed alta tecta victor aſcendit ſuper ,
Superbus illic cœpit alis plaudere ,
Et clamitabat amore gloriæ tumens .
Videns hæc vultur , adverſus ipſum irruit ,
Eumque rapiens ſecum in altum ſuſtulir .
Monet fabella , quiſquam ne ſeſe efferat
Virtute ſua vel roboris præſtantia .

FABULA XXXVI.

Lupi.

AQuæ fluentis ima ſub fovea Lupi
Adinvenere turpidas pelles boum ;
Nec ullus præſens aderat cuſtos : omnibus ,
Ut ipſas ederent , fixa ſtetit ſententia ;
Sed hauriendam fovea credebant prius
Omnem prorſus aquæ vim , quouſque attingerent,
Ac devorarent pelles . Poſtquam ſumpſerant
Plus nimio potum , quin valerent aſſequi
Illas , dirupto procubuerunt corpore .
In rebus agendis qui ſit expers conſili,
Imprudens faciet quod fieri non eſt opus.

FA-

FABULA XXXVII.

Anſer & Hirundo.

Hirundo & Anſer ſocietatem fecerant,
Simulque in eadem ſe ferebant paſcua.
Hirundo, viſis forte venatoribus,
Ut levis erat, dolos evaſit avolans:
Ab ipſis autem captus Anſer occidit.
Nulli te amicum facias, qui nec moribus
Tuis conſentiat, idem nec ducat genus.

EPILOGUS INTERPRETIS.

Ad umbilicum omnem libellum duximus:
Mei ſi ratio conſili probabitur,
Opuſculi ſuavem mercedem feram.
Nec vilis æſtimetur in tenui labor;
Sæpe in re tenui non eſt tenuis gloria.
Et novi, partes ſuſtinere interpretis
Quam ſit periculoſæ plenum opus aleæ:
Et habui ſæpe nonnihil negotii,
Solutum ut clauderem ſermonem barbarum
Ritu latino verſibus ſenariis.
Accedit illud quod magis ad rem pertinet,
Et elegans & ſimplex dicendi genus.
Hoc habuit ſcilicet fabella Æſopia,
Ut fidens viribus, facile ſperes idem;

Su-

Sudes, labores fruſtra, ſi audeas idem.
Meas an partes expleam, non eſt meum;
Quibus palatum ſapiat, illi viderint:
Sed omne punctum me tuliſſe exiſtimem,
Si exempla ſerviant fingendis moribus.

FINIS.

Vidit

Digitized by Google

Vidit D: Carolus Maria Gambarini Clericus Regularis S. Paulli, & in Eccleſia Metropolitana Bononiæ Pœnitentiarius pro Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Domino Andrea Cardinali Joannetto Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Camaldulenſis, Archiepiſcopo Bononiæ, & S. R. I. Principe.

Die 2. Junii 1780.

IMPRIMATUR.

Fr. Aloyſius Maria Ceruti Vicarius Generalis Sancti Officii Bononiæ.

Digitized by Google

Digitized by Google

KONSERVIERT DURCH
ÖSTERREICHISCHE FLORENZHILFE
WIEN 1967

005641132

Digitized by Google